CLEMENS P P. XIV.

Dilecte Fili Salm et Aplicam ben Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Dzierzgowski laicus Luceo=
=rien Civitatis vel Dioc quod ipse Exponens fervore devotionis accensus plurimum cupit Clericali charactere insigniri et ad
omnes etiam Sacros et Presbyteratus Ordines promoveri et promotus in illis Altissimo quoad vixerit famulari Verum quia alias
dictus Exponens Judicis aut aliud Munus seu Officium in Castalitio Bogaslaviensi aut aliis illarum Partium locis exer=
=cens ejusdem muneris seu Officii huiusmodi ratione in Causis Criminalibus diversimode se immiscuit Sententiasque etiam ad
ultimum vite Supplicium condemnatorias contra Reos et facinorosos Homines eorum ita exigentibus demeritis et Justi=
tia sic suadente protulit seu subscripsit debiteque Executioni demandari fecit desiderium suum huiusmodi hac in parte adim=
plere non potest absque Sedis Apostolice dispensatione Ideo Nobis humiliter supplicari fecit Exponens prefatus
quatenus sibi in premissis opportune consulendo de benignitate Apostolica dignaremur Nos igitur eumdem Exponentem
specialis gratie favore prosequi volentes necnon a quibusvis Excommunicationis et interdicti aliisque Ecclesiasticis Sententiis
censuris et penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum
presentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes certam tamen de premissis notitiam
non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati Discretioni Tue per presentes committimus et mandamus cum eodem Exponen=
te suffragantibus sibi alias Meritis et Bonitate et dummodo nullum aliud ei obstet Canonicum Impedimentum ut premis=
sis non obstantibus Clericali Charactere prefato insigniri illiusque Privilegiis uti et ad quatuor Minores nec
non Sacrum Subdiaconatus Diaconatus et Presbyteratus Ordines promoveri et promotus in illis etiam in Altaris mi=
nisterio ministrare libere et licite valeat auctoritate Nostra dispenses Non obstantibus eisdem premissis
ac Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque Volumus autem quod
dictus Exponens a Criminalibus huiusmodi de cetero omnino se abstineat Per presentes quoque non intendimus cum eo=
dem Exponente ad Beneficia et Pensiones aliquo modo dispensare Datum Rome apud Sanctam Mariam Majorem
Sub Annulo Piscatoris die xj. Augusti M D C C L X X j V. Pontus Nostri Anno Sexto

V. Card. Prodatarius

Pro Magistro Brevium
J. Bruner Officialis Coadiutor Regentis
C. Subdatarius

1774
wyłączone z opisu 7069.

Dilecto Filio Officiali Venerabilis
Fratris Episcopi Luceorien.

Fak 19

J. Robert

J. Berart